LIVONIA
siue Liefland.

LIuonia, siue Liesslandia ante annos 400. opera Mercatorum Bremensium & præcipuè militum Teutonici ordinis ad fidem Christi adducta, cum multa periculosa cum externa tum intestina bella & bellorum calamitates pertulisset, & vicinis suis Regibus & dynastis quodammodo prædæ esset: tandem anno 1559. sub Gothardo Ketlero ordinis Teutonici vltimo magistro in fidem & clientelam à Sigismundo Augusto Rege Poloniæ tanquam membrum Regni & magni Ducatus Lithuaniæ accepta est. Cum autem die quinto Martij anno 62. Magister ordinis Gotthardus in arce Rigensi coram Poloniæ Regis Commissario Nicolao Ratzeuilo palatino Vilnense ordinem suum resignasset, & primum Crucem, deinde sigillum, postea literas & diplomata omnia, quæ Ordo à Cæsaribus & Pontificibus acceperat: præterea claues arcis Rigensis & portæ Ciuitatis, officium Commendatoris, ius cudendæ monetæ, vectigal piscium & omnia alia sua & ordinis sui Iura Poloniæ Regi cessisset ac tradidisset: statim facta resignatione Gothardus à prædicto Palatino nomine Regiæ Maiestatis, Dux Curlandiæ & Semigalliæ publicè proclamatus est, eique è vestigio nobilitas Curlandica & Semigallica velut hæreditario domino iuramentum solenne præstitit. Postridie etiam Dux Curlandiæ, summus Regiæ Maiestatis locum tenens & Gubernator Liuoniæ in Curia Rigen si publicè renunciatus, & claues arcis & portæ ciuitatis recepit. Nobilitati vero & ciuibus ōnia sua iura & priuilegia restituta & confirmata sunt, prout in literis apud D. Dauidem Chytræum videre licet. Diuiditur autē Liuonia in tres partes locis & linguis distinctas, videlicet in Estiam, Lettiam & Curlandiam. ESTORVM prouinciæ sunt Harria, cuius metropolis est Reualia 49:4. 60:7. Viria in qua VVeisenburg 50:7. 60:8. Tolsberg 50:18. 60:22. Borcholm Episcopi Reualiensis sedes 50:25. 59:50. Allantakia, vbi Nerua 51:15. 60:20. & Nyschlot 51:15. 60:8. Odenpoa, in qua Derbatum 50:55. 59:2. VVernebec 51:20. 59:3. Helmede 50:14. 58:42. & Ringen 50:20. 58:52. Ieruia vbi VVittenstein 50:5. 59:35. Lais 51:0. 59:30. Ouerpolen 50:30. 59:26. Vellin 49:38. 59:0. VVichia, vbi Habsel 47:55. 59:52. Leal 47:54. 59:35. Lode 48:20. 59:48. & Parnouia 48:30. 59:0. Estis adiacent insulæ Osilia, Dageden, Mona, VVormse, Vrangen & Kien, & aliæ plures, in quibus partim Estica, partim Suetuica lingua vtuntur. LETTORVM vrbes sunt Riga 47:57. 57:35. Kokenhusen 49 35. 57:7. VVenden 49:50. 58:0. VVolmar 50:15. 58:10. & tota Diœcesis Rigensis. Liui vero dicti sunt, qui tractum littoralem à Riga & ostio Dunæ versus Salin & Parnouiam flu. incoluerunt. CVRLANDIAE oppida & arces sunt, Goldingen 45: 45. 56 55. Canda 46:26. 57:9. VVinda 45:25. 57:32. Durben 45:11. 56:35. Srunda 45:45. 56:16. Grubin 45. 56. 36:28. Pilten 45:46. 57:15. Amboten 45:43. 56:8. & Hasenpot 45:24. 56:50. Semigalliæ, Mitouia 47:20. 57:2. sedes aulæ Ducum Curlandiæ, Selburg 49:55. 57:0. Bauschenburg 47:40. 56:20 Doblen 46:46. 56:48. & Dalem 47:57. 57:28. Vrbes sunt. Semigalliam verò & Curlandiam à Lettorum populis & reliqua Liuonia, fluuius Duna disterminat. Etsi autem Liuonia vti dictum est, nunc Regi Poloniæ subiecta est, attamen & Moscus & Rex Sueciæ & alij multas arces & ciuitats in ea occuparunt & adhuc tenent, quisque sibi viciniores, nempe quas Polonus se restiturum suo corpori curanit.

Meridiani distant ex ratione paralleli 58. ad circulum maximum.

GERARDUS MERCATOR *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* DUISBERG, 1595 THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS Octavo